

1.6 7

DISPVATIO
EXTRAOR-
DINARIA.

DE ORIGINE ET IM-
MORTALITATE ANIMÆ.
QVAM

IN PRIVATO COLLEGIO
M. IOHANNIS RVDBECKII

sub eiusdem præsidio Ad 5. Iunij.

ANNO MDCCXI.

habetur.

OLAVS GABRIELIS A.
Fellstadius ipse Au-
thor.



Math. 10.

Nolite timere eos, qui corpus occidunt,
Animam autem non possunt occidere.

STOCKHOLMIÆ

Typis hæredum Andreæ Guttervitzij.

HANC DE ANIMÆ ORI-
GINE ET IMMORTALI-
tate disquisitionem.

REVERENDIS, PIETATE ET
doctrina ornatiss. viris in Anger-
mannia Pastoribus.

D. Ionæ in Nâtra præpositus, eiusq; comministro,
& cognato meo Carissimo.

D. Engelberto in Sidlevaadh.

D. Olao in Arndâs.

D. Olao in Nordingerâdh Præpositus.

D. Andreæ in Herôdhfsand.

D. Petro in Seberâdh.

D. Zachariæ in Noora cognato suo carissimo.

D. Sanderò in Gudmunderâdh.

Cæterisq; in vtrâq; parte Ang. Pastoribus &
Comministris vigilantissimis.

Debitæ gratitudinis ergò testificandæ
Reverenter offert & dedicat
Olaus Gabrielis
A. F.

DE ANIMÆ ORIGINE ET immortalitate.

I.



Orctè quis miretur, cur non priùs, generalia tractamus, quam ad specialia descendimus; is sciat generales disquisitiones de anima priùs à Clariss. Dno. praside non ita pridem publicè habitas esse, ideo eas repetere nolumus, Sed mox ad præcipuam animæ partem rationalem videlicet accedimus, cuius cognitio apprime omnibus tam Philosophis, quàm

Theologis est necessaria.

II. Variæ de anima rationali & eius Origine fuerunt opiniones, nos quatuor tantum præcipuas enumerabimus, 1. est Origenis, qui dixit animas omnes quodam tempore simul fuisse creatas extra corpora, & postmodum corpora intrare.

III. Secunda est Pythagoræ, quam ab Ægyptijs accepit, quod animalium numerus fuerit ab æterno finitus & determinatus, sed deinde varia corpora diversis temporibus intrent.

IV. Tertia fuit Avicennæ, quem alij Heretici, ut Seleucus & Hermias secuti sunt, quod animæ simul cum corporibus producantur, non à virtute seminali sed ab Angelis.

V. Probabilius & verosimilius affirmamus, totum hominem animæ & corpore compositum, generare totum hominem, sicut aliæ species ex se procreant simile, atq; ita se propagant & conservant.

VI. Hoc primo manifestum est ex formatione Adæ & Evæ, Adæ enim ex limo terræ formavit Deus, & postea spiraculum vitæ naribus inspiravit, & sic factus est vivus homo; Evæ vero fuit alius creationis modus, quam Deus vivam produxit ex costa viui Adæ, nec animam inspiravit, sed eam totaliter corpore & anima exædificavit.

VII. Deinde ordo in natura divinitus est institutus, ut simile generet simile, brutum brutum, aves avem, sus suem, cum homo sit univoce animal, eundem igitur cum reliquis propagationis modum habet, nam Deus in creationis opere brutis & homini similiter benedixit.

VIII. Tertio cum causa attigerit dispositionem alicuius formæ ultimam, talem producit formam, qualis à causa dispositione causatur. v. g. ignis producit calorem summum, cum quo inducitur forma ignis, quod fit ex ipsa ignis virtute: Ergo sic fit in organizatione animæ rationalis, virtus seminalis omnem & totam dispositionem facit, & consequenter etiam formam producit.

IX. Quarto si anima non produceretur à virtute seminali, anima iam facta præcederet, quod fieri non potest, quia causa formalis non habet esse nisi in eo cuius est causa, vt habetur. 12. Meth4. Tex 17.

X. Deniq; si quis non velit animam ab anima propagari, sicut lumen à lumine, ille in tristissimum hunc errorem incidit, videlicet Christum non animam, sed corpus tantum redemisse. Nam quod ex genere humano non adsumpsit, id neq; redemit. Το ἀρωγοῦ ἁγίου ἀϊσπαῶντος ait Damasc. lib. 3. Orth. fidei. cap. 6.

XI. Animam immortalem esse, infinita comprobant rationes Theologica & Philosophica, primò. Gen. 1. Creavit Deus hominem ad imaginem suam, at Deus est immortalis, ergo anima hominis.

XII. Cunque homo ad imaginem Dei creatus sit, præstantius ac honorabilius est assimilare se Deo & ipsius angelis, quam bestiis & brutis animantibus et ita tutius est adsurgere ad divina opera, & rerum divinarum contemplationem, quam ad brutorum imitationem descendere.

XIII. Habet n anima rationalis convenientiam quandam cum Deo et angelis, eos omnino scimus esse immortales, non modo testimonijs scripturæ convicti; Sed etiam eò, quod sint intelligentes & rationales, proinde spirituales & incorporei, erit igitur anima ex eadem causa incorruptibilis, non n. potest corrumpi ab agente corporeo & naturali, quod spirituale est.

XIV. Deinde Paul. Philip. 2. Petit dissolvi & esse cum Christo, at si anima exhalans dissiparetur, & in auras instar fumi Evanesceret, certè vnà cum Christo versari non posset, porro Moses & Elias vivi cum Christo in monte Thabor conspiciabantur.

XV. Deniq; Christus, Propheta & Appstoli mortuos resuscitarunt, Helias filium viduæ sareptanæ, vbi dicitur quod anima pueri reversa est in viscera eius & revivixit, si anima interisset, haud quaquam redire dici potuisset, loca plura habemus, ex quibus idem colligitur. Gen. 15.

Pfal. 33. Ecclest. vlt. Sap. 3. Math. 22. Item 10. Luc. 16. de Lazaro. Luc 25. de latrone. Act. 7.

XVI *Rationibus per plurimos idem evincitur, brutorum anima intereunt, ideo quod ex eadem materia, qua corpora sunt producta, unde resolutis corporibus, anima quoque intereunt, anima vero hominis inspirando creata est, hinc divina & immortalis est.*

XVII. *Omnis forma totaliter non dependens à materia, non corrumpitur separata à materia, Sed anima rationalis hoc habet, ergo non corrumpitur; Quod autem anima non totum suum esse habet, dependens ab ipsa materia, ita probatur, operatio intellectiva non dependet à corpore, nec cum eo corrumpitur, cum intellectus, non sit virtus organica, quod patet in senibus, in quibus, quamvis omnes vires corporis & passionis animi intereant, intelligere tamen in illis viget, & saepe qui prope mortem sunt, multum pollent ingenio & iudicio.*

XVIII. *Deinde anima intellectiva infinita est, nec tantum particularia, sed universalia etiam potest intelligere, potest infinitum, & perfectionem infinitam imaginari, cumque talem habeat capacitatem, necesse est ut aliquando repleatur, quod non fit in hac vita, igitur in futura; Illud confirmatur ex progressu numerorum, nullus est tamen Magnus numerus, quin intellectus possit addere ei unitatem, quare cum infinita sit capacitas, erit & duratio perpetua talis enim est existentia rei, quales eius proprietates,*

XIX. *Porro quibus Natura appetitum communicavit, ea etiam ordinavit, quae illum complerent, sed cum homini appetitus sit communicatus, necesse igitur est, ut aliquid sit, quod eum impleat, sed nihil sub sole, quod appetitum implere potest, nunquam quiescit hominis desiderium nisi ex parte, ergo est alius status in quo compleatur.*

XX. *Item desiderium beatitudinis, perpetua felicitatis & summi boni vobis à natura insitum est, omnes enim volunt esse beati, sed summum bonum excludit omne malum, & omne bonum includit, id hic haberi non potest testante experientia, nam hic dominantur varia miseriae, & mille mala, superest igitur alia vita.*

XXI. *Uterius, ens naturale suum habet finem, quo acquisito acquiescat, homo vero, qui naturalium omnium res est preciosissima talem expectat, videlicet aeternam beatitudinem, in qua nullum est malum,*

nam vt Boetius, inquit, beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, illa omnes in hac vita caremus, remanet propterea futura.

XXII. Si autem quis dicat, veram beatitudinem esse perfectam actionem virtutis, exactam scientiam rerum spiritualium, Naturalium, aut substantiarum separatarum; Illi ita respondemus, bonum est habere variarum rerum scientiam, sed non conferendum cum futuro bono. Si illi tantum beati essent, qui huius scientiæ essent participes, sequeretur, pueros, feminas, pauperes, rudes ingenio, rusticos, & agricultas nullam beatitudinem nancisci posse, cum ad hanc non possint pervenire.

XXIII. Sexto Res cognoscuntur ex earum operationibus, hæ enim naturam indicant, anima habet operationes à corpore separatas, primum ex voluntate, deinde ab intellectu ergo per eas cognoscitur, quod possit esse separata, & consequentur immortalis.

XXIV. Operationes voluntatis sunt nolle, & velle liberè. quæ operatio supra omnem sensum est, quando voluntas vult aut elegit, non est necesse, vt utatur appetitu sensitivo ad eligendum, sed sola hunc actum elicit.

XXV. Non solum sensus & appetitus voluntati necessitatem non inferre possunt, sed nec etiam intellectus, nam postquam ille cognovit, voluntas eligere potest, & non eligere, velle & non velle, imo intellectum retardare ne consideret, hæc operatio est separata.

XXVI. Septimo perpetua est lucta inter corpus & mentem hominis, quæ partes nunquam sunt inter se concordēs, Teste. Paul Rom. 7. Iam quod adversatur corpori & eius desiderijs, necesse est, non sit corpus sed spirituale corporale secundum naturam corporalia sectatur, quod vero corporeo appetitui, non consentit, sed strenuè repugnat, est necesse esse spirituale, antecedens patet in viris bonis, qui virtutem consequantur, in quibus manifestè hæc lucta conspicitur, vt Arist. ait 7. Eth. de continente & incontinente.

XXVII. Octavo conscientia hominum testantur animam post mortem superstitem esse, etenim si ita non esset, nemo de futuris penis formidaret.

XXVIII. Nono, scimus diversa esse genera hominum, malos & bonos, & diversas habere operationes & conditiones, boni paupertate, miseris & afflictionibus multis premantur, scelerati v. prosperitate, opibus, poten-

potentia, & voluptatibus gaudent, sed cum Deus iustus iudex sit, & iusticia ratio postulat, vt boni bene haberent, & mali male, & in hac vita hoc non videmus fieri, omnino fatendum est in futra vita remanere pijs premium pro benefactis, malis suplicium pro malefactis.

XXIX. Decimo si anima non esset immortalis, virtutes, quæ merito in precio habentur, nibili fierent, nec aliquis vellet pericula subire pro Rep. aut mortem oppetere pro patria, neq; pro Iusticia & virtute pugnare, cum nihil inde boni, sed extremum periculum exspectaret.

XXX. Vndecimo si anima esset mortalis, vt impij presumunt, videretur certè dignius ac decentius esse, aliquid magnificè & ample de natura nostra à Deo data opinari, quam demisse & abiectè sentire, & si opinio non esset vera, nihil periculi esset, post mortem nos ita opinatos fuisse, nam cum anima postea non remaneret, non possemus ob id redargui neq; puniri.

XXXI. Duodecimo præterea tres sectæ Philosophorum præcipua olim idem confessæ sunt, plato Princeps Acad. expressè in Timæo id docet, videlicet animã esse similitam diuinæ naturæ, vocat eam non terrenam sed caelestem, quia non est efformata ex materia Elementari, sed immediatè à Deo inspirata, quæ aperte indicant verba Moysis.

XXXII. Vniuersa etiam Schola platonica rationibus certis confirmat immortalitatem animæ, dicit eam esse Principium motionis, & per se moveri, sed quod semper movetur est æternum & in corruptibile, corpus autem est quasi Sijma s; animæ sepulcrum, quod in corpore sit tanquam carcere, à corpore autem liberata, res æternas & diuinis contemplatur.

XXXIII. Deinde Pythagoras & pleriq; stoici huic quoq; Sententiæ subscribunt, vt refert pluth. lib. 4. cap. 7. de placitis Phil. Græci etiam manifestè immortalitatem animæ propugnabant Teste. Iosepho.

XXXIV. Deniq; Arist. & peripathetici eius interpretes, tam Latini, quam Græci semper in ea fuerunt opinione, inter Græcos Theophrastus & Thimistius, inter Latinos S. Thomas Albertus Mag., Ægidius & alij Magni nominis.

XXXV. De animæ immortalitate dicit Arist. de anima Tex. 66. quod amare, cogitare, aliq; perturbationes, destruuntur cum ipso corpore, Intellectus diuinum quod & impassibile. lib. 2. d. An intellectum à cætris animi facultatibus differre sicut diuinum à caduco. lib. 3.

Asserit

Afferit intellectum non esse copori mixtum. Item. lib. 12. Meth. mentem corrupto corpore permanere statuit, & multis alijs in locis idem probat.

XXXVI. Finaliter omnes ferè homines & Respub. hanc opinionem receperunt, si aliquando negatum fuerat, id non erat consensu totius Reip. sed vel ab hoc vel ab illo particulari homine.

XXXVII. Quare cum tot sint rationes, quedam ex assertione sacrarum literarum petita, quedam ex ipsa natura deprompta, non veremur affirmare totum hominem ex toto homine generari & animam esse incorruptibilem & immortalem.

XXXVIII. Est itaq; anima rationalis substantia spiritualis, sive incorporea à Deo creata, homini inspirata, quæ parentum propagatione postea conservatur, hominis forma, corpori coniuncta, sine corporis tamen organo intelligens & immortalis.

XXXIX. Substantia est, quia est ἐντελεχεία & primum Principium operationum & motuum, sustinens accidentia. Spiritualis est, quia simplex, immaterialis, nec aspectabilis aut tractabilis est, nec ullam admittit magnitudinem, per traducem propagata, ut priori Thesum parte ostensum est. immortalis ut posteriori fuit probatum.

Corolaria.

- I. Num anima illa à DEO inspirata sit pars essentiæ divinæ? N.
- II. Vtrum anima separata à corpore sit Persona? N. quod neq; coniuncta cum corpore, neq; separata à corpore est persona.
- III. Vtrum anima separata habeat usum potentia sensitiva ita ut cognoscat aliquid sensibilibus? Dist.
- IV. An cognoscat aliquid sensibilibus à corpore separata sensib. externis? N.
- V. An scientia hic acquisita remanebit in anima separata dist.